de A° 1558.
160./

[= Mscr. a. 7: Nr. 27]

Michaëli Verhagen Antwerpiæ
Pax Christi.

Dilectissime adolescens nuper ex literis Caroli Crollii
obiter cognovi te Antwerpiæ esse, quem ego arbitrabar
in aliqua Germaniæ academia laudabilem exaedificatio-
nem adjungere non infeliciter jactis doctrinæ fundamen-
tis. obstiterant tuis studiis quædam impedimenta propin-
quorum, sed hæc te superasse augurabar, quod præter spem
primum Lovanium ad D. Lamber. te applicuisses, atque inde
ad celebriores scholas transvolasses, nunc autem repente rever-
sus ad nostros prorsus, facis ut cogitem te aut tua voluntate
coactum fecisse cum Musis divortium, aut parentes jam
tandem de tuo profectu desperasse. Quæcunque causa sit,
etiam quæ ex bonorum recto consilio fiunt nolim sugilla-
re, sed fieri ut propediem cognoscam. Scis quam arcta necessi-
tate devincti inter nos simus, non est par, vel me tuarum
rerum ignarum esse, vel te nulla nostræ salutis solicitudine
teneri. Discedas ne à literarum studiis an non, parum ad me
attinet, sed qua fide sis, quave religione id scire non temere
laboro, multis adolescentibus hic stupor agnatus est, ut cum
à schola discesserint, continuo cogitent sibi ab omni studio
pietatis simul esse feriandum. At tu Michaël si te satis
novi, quamvis à literis abdicatus, tamen in schola Jesu
Christi usque ad extremum spiritum rectam et orthodo-
xam cognitionem earum rerum, quæ ad salutem necessa-
ria sunt consertis manibus retinebis, neque tibi satis erit
aliquo modo Christum Salvatorem habere cognitum, nisi et
sanctitatis studio et sincera fidei tuæ confessione
pro loco modoque tuo eum assiduo colere contendas,
et juxta verbum vite celebrare. Neque te moveant eo-
rum crebra exempla, qui Horatianum illud secure jacti-
tant, nullius addictus jurare in verba Magistri. Quomecunque
rapit tempestas deferor hospes quærendum quæ sit vo-
luntas Dei ex ejus verbo per Prophetas et Apostolos
tradita, atque ubi ejusmodi coetus fueris nactus, quos constet
tam in doctrina, quam in usu Sacramentorum et in re-
liquis cultibus, apud Evangelium Jesu Christi utroque pede con-

sistere, ad hos te adjunge fide, confessione, cultu, sacris et invocatione, noli errones imitari, qui nullam Ecclesiam probant, nulli se coetui adjungunt, at rursus explora coetum an ex Deo sint, tales si certo comperis, fac ut studiose colas, dans gloriam Deo, ne super te veniat gravissima comminatio domini dicentis: Quem meorum sermonum puduerit, quid homines, ejus et me pudebit coram Patre meo. Sed de his alias plura. Meae res satis nunc sunt tranquillae. Habeo convictores 16. qui me alunt beneficio Christi. Uxor semper valetudinaria est, ego bien[n]io valde afflictus paulatim meas vires collegi, maluissem in Academiam transire; Sed ~~de his aliàs plura~~. Dominus obstitit, cujus voluntatem merito antepono meae, et ultro gaudens, me sub ejus potenti manu, meaque studia submitto, obsecrans eum ne me abjiciat inter vasa irae, sed me aliquo angulo latere patiatur inter eos quorum actiones salutares sunt, quique ipsius Spiritu gubernantur. Vale 12. Calend. Septemb. Bremae 1558. Amicus tuus Johannes Molanus. Miror non inveniri Antverpiae aut Lovanii Gramm. Petri Megangi, quae excusa est Parisiis apud Vascolanum Anno M.D.XLIX. Si potes eam nancisci, mitte X aut XII exemplaria vel à Crollo vel à Doct. accepto argento. Saluta honorandam matrem tuam et ejus maritum et filios et caeteros pios. Iterum vale.

Pax Christi

161.)

Nicolao Folaine Valencenensi Antverpiae in mercatu.

[=Macr. a. 7: Nr. 28]

Valdè tibi gratulor hanc beatitudinem cordate adolescens, quod in tanta degenerantium turba constanter luceas in viis Domini promovesti. Et sane jam tum, cum apud me tu et Thomas haereretis, illa perpetua vitae vestrae innocentia et ardor ingens amoris erga sacras literas non dubiam mihi significationem dederant, hujusque quam nunc de vobis audio sincerae et inconcussae pietatis. Ejus